



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 7. An Pater & Filius sint vnum principium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

spirantis, nam hæc significat adiectiue, & ideo Pater, & Filius recte dici possunt duo spirantes. Quomodo exponendus est Hilarius cum 2. l. de Trinit. dixit, *Patrem, & Filium esse auctores Spiritus sancti*, vt D. Thomas supra notauit.

4. *Dubium.* Vna tamen supereft interrogatio, seu obiectio vulgaris, pro quo supponat, vel quid designari possit sub illo vno principio, vel spiratore, qui de Patre, & Filio prædicatur, quia nihil videtur designari posse. Nam siue Patrem, siue Filium designes, falsa erit locutio, quia neutra persona potest de vtraque simul prædicari. Propter hoc multi putant necessarium esse dari subsistentem communem in actiua spiratione, qui sit hic spirator, & vnum principium, quod de Patre, & Filio prædicetur. Ita sentiunt Gabriel, & alij citati capite quarto. Sed ibi ostensum est, illam sententiam esse falsam. Quod autem non sit necessaria ad veritatem illius locutionis explicandam, supra libro quarto declaratum est, & patebit ex dicendis.

5. *Responsio.* Alij ergo respondent, prædicatum illud habere vim termini collectiui, & ideo supponere pro Patre, & Filio simul. Quod videtur docere Diuus Thom. dicta quaestione trigesima sexta, articulo quarto ad argumenta. Et fere in idem redit, quod Caietanus ibi, & Capreolus in 1. distinctione septima, & duodecima, quaestione prima, dicunt, prædicatum illud supponere confuse, & immobiliter, ratione illius particulæ, & posita ex parte subiecti, sicut dialectici dicunt de hac propositione, *Parisijs & Rome venditur pipper*. Sed prior responsio difficilis est, quia sequitur, Patrem solum, vel Filium solum non posse dici spiratorem, vel principium Spiritus sancti, quia terminus collectiuius non potest de singulis personis prædicari. Consequens autem falsum est, vt constat. Posterior etiam responsio in termino singulari locum non habet, Pater autem, & Filius sunt hic spirator seu vnum principium singulare, imo idem principium, ergo aliquid sub illo termino posito ex parte prædicati designare licebit. Item de Patre, & Filio sigillatim prædicatur *Spirator*, ergo tunc nulla est suppositio confusa, vel immobilis, at idem spirator est, qui de Patre, & Filio simul, & de quolibet eorum sigillatim prædicatur, ergo idem sub illo termino designare licebit.

6. *Contra 2.* Dico ergo, *Spiratorem*, immediate, ac determinate supponere pro subsistente in hac virtute spirandi, ita vt ex parte virtutis dicat singularitatem: ex parte vero subsistentiæ, communiter, & confuse dicat subsistens in illa virtute cum conditione sufficienti ad spirandum. Et ideo potest de Patre, & Filio tam simul, quam sigillatim prædicari, quamuis de Patre, & Filio simul nulla persona determinate, vt talis est, possit prædicari. Quod non obstat, quia *Spirator*, vt sic, vel *principium Spiritus sancti* neutram personam hoc modo significat, sed abstracte ex parte suppositi, id est, personam habentem talem virtutem, seu spirationem. Nisi fortasse *Spirator* sumatur pro illo principio, quod includit non solum totam virtutem, sed etiam omnem conditionem ad quæ necessarium in principio Spiritus sancti, sic enim procederet quod Diuus Thomas dixit, supponere tunc pro Patre, & Filio simul, propter ea, quæ in capite præcedenti dicta sunt.

7. *Contra 3.* Alia obiectio fieri potest. Quia si Pater, & Filius sunt vnum principium propter vnam virtutem, Pater erit duo principia, scilicet Filij, & Spiritus sancti, propter duplicem virtutem, & processione. Alij respondunt, non dici duo principia, ne distinctio realis significari videatur, secundum rationem vero dici posse, sicut sunt duo virtutes. Diuus Thomas autem prima parte, quaestione trigesima sexta, articulo quarto, negat simpliciter, Patrem esse duo principia. Et idem absolute negant tam Latini, quam Graeci in Concilio Florentino sessione vltima, & ita mihi sententia Suarez: De Deo trinuno.

tiendum; & loquendum videtur. Vnde neganda est illatio, quia licet ad vnitatem substantiui sufficiat vnitatis formæ, ad pluralitatem non sufficit pluralitas, nisi etiam multiplicentur supposita. Quia quoties numerantur concreta in plurali, etiam supposita numerantur, vt ex communi modo loquendi constat. Et ratio est, quia vno talium formarum in vno supposito sufficit ad vnitatem, in communi denominatione sumpta à talibus formis, sicut est vnus artifex, qui plures artes habet, de qua relatius supra, & in materia de Incarnatione dictum est.

8. *Obiectio occurritur.* Dices, ergo saltem Pater, vt est principium Filij, & Filius, vt est principium Spiritus sancti, erunt duo principia, quia & sunt duo supposita, & per virtutes producendi formaliter diuersas producant, & ita ibi & suppositum, & formæ multiplicentur, quod satis est ad pluralitatem substantiui. Consequens autem non admittit Anselm. libr. de processione Spiritus sancti cap. 10. *Nec tamen (ait) duo confitemur principia, vnum Patrem ad Filium, alterum Patrem, & Filium ad Spiritum sanctum. Sicut non credimus alium Deum, de quo est Filius, & alium Deum Patrem, & Filium de quo est Spiritus sanctus, quamuis de eodem Deo, siue de eodem principio suo quisque modo sit.* Respondeo, illa non posse dici duo principia actu in re ipsa, tamen virtute esse duo, & ita ratione etiam posse considerari, & distingui, vt duo. Probo simul hæc omnia ex illa regula, quod substantiua non multiplicentur, nisi multiplicatis suppositis, & formis: supponoque *Principium* substantiuum esse, vt est per se clarum. In præsentibus ergo licet in re multiplicentur supposita Patris, & Filij, tamen virtus generandi, & spirandi in re non sunt plures, quia in re non distinguuntur actualiter, nec Filius vt spirator distinguitur in re à Patre, vt Pater est, quia est idem spirator cum illo, & spiratio non distinguitur in re à paternitate, vnde Pater vt Pater non distinguitur in re à Filio vt spiratore, quia non opponitur illi vt sic, & in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Ergo Pater, & Filius in re non sunt duo principia etiam respectu distinctorum terminorum. Ex his vero eisdemque principijs constat esse duo virtutes, & secundum rationem, nam ex parte suppositorum est maior distinctio, quam necessaria sit ad hanc pluralitatem, & ex parte formæ, vel virtutis est saltem pluralitas virtualis, & rationis.

9. *Responsio.* Instabis, hoc factis esse, vt absolute dicantur duo principia. Nam supposita distinctione suppositorum, in cæteris videtur esse eadem ratio de concretis, quæ est de abstractis, sed paternitas, & spiratio dicuntur simpliciter duæ relationes, quamuis in re solum virtute, & per rationem distinguantur, ergo similiter concreta illarum relationum etiam substantiue sumpta, multiplicabuntur simpliciter, saltem respectu distinctarum personarum, Patris & Filij. Respondeo, instantiam hanc solum esse de modo loquendi, de quo dicimus, receptum esse illum modum loquendi in abstractis relationum, nõ vero in concretis, & ideo non esse simpliciter vsurpandum sine declaratione. Adopræterea, nomen principij (sicut nomen causæ) vno modo non dicitur de formali relationem secundum esse, sed virtutem agendi, seu principium quo producendi, & hoc esse absolutum in diuinis personis quoad formale, & ideo licet connotet relationem, seu qui conditionem termini absoluti, qui non multiplicatur simpliciter, nisi multiplicata in re formæ absoluta. Et hic videtur vsus illius vocis *Principium*, cum Patri, & Filio attribuitur. Et ita Anselmus ex vnitatis formæ absolute probat vnitatem principij. Quod si *Principium* sumatur, vt formaliter denominatur à relatione, fortasse in bono sensu possent dici duo principia sicut duo relata. Tamen propter ambiguitatem, & periculum cauenda est talis locutio sine

tio sine illo addito, quod sunt duo secundum rationem quoad relationem.

Atque hinc tandem intelligitur, superuacaneam esse questionem huc remissam, an principium dicatur vniuoce, de Patre, & Filio in diuinis. Quia vbi non est pluralitas sub communi termino, neque a-

nalogia, neque vniuoctio proprie locum habet; sed vnitas, eo tamen modo, quo sunt plura secundum rationem vniuoce sunt principium, vt ex dictis satis constat, & de Persona, & Relatione dictum est supra.

Finis Libri Decimi de Trinitate.

INDEX CAPITVM LIBRI VNDECIMI DE TRINITATE.

- C**ap. 1. De nominibus Spiritus sancti, & amoris.
 Cap. 2. Ex quarum rerum amore procedat Spiritus sanctus.
 Cap. 3. An Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.
 Cap. 4. An Spiritus sanctus sit donum.
 Cap. 5. Cur Spiritus sanctus non sit Filius.
 Cap. 6. Cur Spiritus sanctus non sit imago.

LIBER VNDECIMVS DE TERTIA TRINITATIS PERSONA, QVÆ SPIRITVS SANCTVS NOMINATVR.

TERTIA sunt nomina, quibus solet tertia persona Trinitatis in Scriptura significari, eiusque proprietates nobis declarari, scilicet, nomen Spiritus sancti, Amoris, & Doni, sub quibus de illa tractauit Diuus Thomas prima parte questione 36. 37. & 38. Nam per nomen Spiritus sancti indicatur relatio ad suum principium, per nomen amoris modus processionis, per nomen Doni, quædam relatio ad creaturam. Quo circa de primo, & secundo nomine pauca à nobis dicenda supersunt, quia propria Spiritus sancti relatio simul cum relatione spirationis, & cum his, que de spiratore diximus, fere explicata est, quia correlatiua vt sic, sunt simul cognitione, & cum de relationibus diuinis ageremus, terminum, fundamentum, & rationem fundandi huius relationis declarauimus. De modo item processionis huius personæ in primo libro aliquid attigimus. Tamen, quia hæc processio minus nota nobis est, vt Diuus Thomas dicta questione 36. articulo 1. notauit, curabimus hic amplius illam declarare. Videturque duobus illis modis, quibus obscuriora Dei inuestigare solemus, scilicet, vel per connotationem aliquam, seu comparationem ad alia, præcipue ad processionem Verbi, vel per negationes aliquas, que in Spiritu sancto etiam per comparationem ad Filium considerari possunt. Denique de respectu peculiari huius personæ ad creaturas nihil hactenus tractatum est, nec videtur facilis ad explicandum talis respectus, &

ideo hoc etiam præcipue nobis superest ad inquirendum de hac persona.

CAPVT I.

An tertia Trinitatis persona ratione sua processionis reuè, ac proprie Spiritus, & Amor appelletur, & ex quarum rerum amore procedat.

TERTIAM hanc personam per voluntatem, atque adeo per modum amoris procedere, supra libro primo, contra Durandum ostensum est, quia processionem, & terminum eius instar illius, quam in nostra voluntate vtunq; experimur, nominamus, & apprehendimus. Vnde quia etiam in nobis ipsis processio hæc obscurior est, pauciora habemus nomina, quibus illam significemus, quam in processionem intellectus, sed vere vnica voce amoris, vel dilectionis, totam illam significamus. Hinc ergo factum est, vt ad significandam tertiam Trinitatis personam, eiusque relationem quædam nomina, alias communia, vel essentialia accommodata sint, & quasi de nouo imposita ad illam significandam.

Primo ergo vocatur Spiritus sanctus, estque nomen eius maxime proprium. Videturque ab ipso Christo impositum, vnde illo vsus est Mattheus vltimo Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vbi tacite declarauit multa alia, quæ de Spiritu sancto dixerat.